

quo iure sit prohibita. Nam licita aut illicita ita discernuntur
 l. i. ff. de concubin. l. cum senatus ff. de rebus dub. l. i & per
 tot. tit. ff. de colle. & corporibus. Quantum ad diuinum, certe
 nullum textum reperio, vbi Alchemia & auri confectio pro-
 hibetur: cum tamen innumera vitia & crimina legislator di-
 uinus Moses in Leuitico & Deuteronomio persequatur. Ne-
 que puto illum magis prohibuisse destillationes & alembica-
 tiones, & auri argentiue confectionem, quam ioculium & an-
 nulorum & cæterorum eiusmodi ornamentorum conflatu-
 ram: quibus Salomon & alij Reges ornabantur. Quantum et-
 iam laminarum & bractearum auri vsus apud populum Dei
 fuerit, præsertim in templo Hierusalem, nemini ignotum est.
 Quantum autem ad ius ciuile, certe nulla litera in Digestis,
 Codice, Inst. vel Nouell. ostendi posset, quæ ad prohibitio-
 nem Alchemiæ pertineat, quia potius Fusorum ars compro-
 batur & laudatur & præmijs decoratur l. i. C. de excusat. ar-
 tific. Sic Vascularij fusores frequenter nominantur, quasi ar-
 tem (sine controuersia) legitimam exercentes. in l. apud Labe-
 onem §. vlt. ff. de præscript. ver. l. vlt. ff. de obligat. & action.
 l. penult. ff. de aur. & argent. lega. Et de Metallarijs quod le-
 gitimam artem exercent dubitari non potest ex tit. Cod. de
 Metallarijs li. xj. Quantum ad ius canonicum, opponi solent
 duo textus: sed facile est vtrique respondere. Primus est in c.
 spondent. Extrauag. de crimine fals. Vbi Papa Ioannes xxij.
 Alchemistas reprobatur, non tamen eos morte damnat, sed
 tantum infamia perpetua. Sed textus ille non est infinite &
 generaliter scriptus de omnibus Alchemistis. Verum specia-
 liter & proprie de ijs tantum, qui (vt textus verba proferam)
 aurum vel argentum sophistica transmutatione confingunt.
 Quare ad eos qui non reprobantur, adulteriū, sed probum &
 verum aurum conficiunt, textus ille non pertinet. Sicut Ioh.
 Andr. in addit. ad Specul. testatur, Arnaldū de Villanoua suo
 tēpore facere solitum virgas auri quas omni probationi sub-
 mittebat. Itaq; omnes Doctores tam ciuilibes quam canoni-
 ces, non curarunt illam extrauagantem Papæ. vt superius di-
 ximus. Quin etiam Ioh. Augurel. Magnus Poeta, opusculum
 suum de Alchemia libere dedicauit & præsentauit Papæ Leo-
 ni. x. cui gratissimum illud munus fuisse constat. Hæc igitur
 ad illum textum responsio sufficiat: vt illud omittam, quod
 multi hodie non recipiunt auctoritatem illius legislatoris,

E

qui